



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1681

xviii [i.e. xiii]. Distinctio rationis est, dumres eadem diversis conceptibus concipitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

estquè ratio, per quam aliquid est aliud ab alio ut actu existente, & hæc distinctio est formaliter relatio alietatis, supposito, quòd relatio prædicamentalis sit quid indistinctum à fundamento & termino actu existentibus. Nequè dicas contra hoc ultimum: relatio prædicamentalis supponit distinctionem, ergo non est formaliter ipsa distinctio: nam relatio alietatis præsupponit distinctionem formaliter absolutam, & respectivam fundamentaliter, non tamen præsupponit distinctionem formaliter relativam. Ex quibus sequitur, Deum ante mundum conditum non fuisse distinctum ab ullo formaliter & relativè, sed tantùm fundamentaliter & absolutè.

XIII. Distinctio rationis est, quando intellectus unam eandemq; rem diversis conceptibus cognoscit. Distinctio virtualis propriè loquendo, nihil est aliud, quàm entitas rei ob plures perfectiones, quas in se unitas vel identificatas habet, apta distingui, seu concipi pluribus conceptibus inadæquatis, obquè suam fecunditatem præbens intellectui fundamentum, ut ipse in una eademquè re plures formalitates distinguat. Distinctio
ratio.

rationis alia est rationis ratiocinatae, quæ fit cum fundamento in re, in qua nimirum reperitur dicta virtualis distinctio: alia est rationis ratiocinantis, quando intellectus de una eademque re absque fundamento format plures conceptus inadæquatos synonymos, id est, solo numero differentes, repræsentantes rem eandem eodem modo, in ordine ad eandem connotata, tales sunt conceptus respondentes his nominibus: *ens, gladius.*

XIV. Non datur inter distinctionem realem & rationis distinctio media, quam formalem vocant seu ex natura rei, dicuntque intercedere eam, non inter entia, quorum saltem unum ab altero realiter separari potest, sed inter entitates, conceptibilitates, formalitates, quidditates inseparabiles quidem, à se invicem tamen distinctas ante omnem operationem intellectus, qualesque formalitates, aiunt, in homine esse animalitatem, rationalitatem &c. in Deo Justitiam, Misericordiam &c. quæ ita distingui volunt ante operationem intellectus, ut unum non sit aliud, v. g. Misericordia non sit Justitia &c. Istæ namque formalitates eo ipso, quòd distinguantur ante operationem intellectus,

f s

distia-